

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Theses Collegii Disputatorii In Universæ Theologiæ Fidei Controversias Potiores  
: Juxta methodum Königio-Qvenstadianam ordinatas, Et Viginti Qvatuor  
Disputationibus comprehensas**

Rostochi[i]: Typis Nicolai Schwiegerovii, 1703

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431860>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 10.Jan.1703

Habichhorst, Andr. Dan.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003431860/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431860/phys_0002)

**DFG**





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003431860/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431860/phys_0004)

**DFG**

15

THESES  
COLLEGII DISPUTATORII  
IN  
**UNIVERSÆ  
THEOLOGIÆ**

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

**FIDEI  
CONTROVERSIAS POTIORES,**

Juxta methodum Königio-Qvenstadianam ordinatas,  
Et VIGINTI QVATUOR DISPUTATIONIBUS comprehensas;

De quibus

Annuente DEO-Homine & R. FCte Theol. consentiente,  
PRÆSIDE

**ANDR.DAN.HABICHHORSTIO.**

S. Th. D. ejusdemq; PP. & Seren. Duc. Mekelb. Consiliario Consistoriali,  
nec non FCris Theol. & Collegii Ducalis totiusq; Universitatis Seniore,

In Auditorio Domestico, diebus Merc. & Sabb, horis à 1. in 3. pom.

Respondentibus semper duobus, majoris exercitiū ergo, adhibendis,  
factoq; ad X. Jan. A. 1703. initio, eo, quem sequens pagina designat, ordine  
disputabunt

JOH. SALOMON Richter / Gedan. Borust.

JACOBUS POSSELIUS / Anclam. Pom.

JOHANNES Deich / Perlebergā March.

JOH. CHRIST. Frese / Westenbrug. Mekl.

PETR. JOH. Craag / Menkin. March.

DAN. GOTFR. KAMETIKE, Sedin. Pom.

GEORG. MÖNRADUS, Hadersl. Holf.

DAVID Grönke / Lychenā March.

CHR. HENR. ELSWICH, Rendsb. Holf.

& JOH. FRID. Knüppel / Wismariensis.

THOM. CHR. PARPARD, Dramburg. March.

JOH. HENR. HARTUNG, Segeberg. Holf.

FRANC. CHRIST. Peetsche / Anclam. Pom.

CHRISTIANUS Schütze / Colon. March.

SAM. KUNOWSKY, Primislav. March.

FRID. Schönholtz / Zedenic. March.

& MARTINUS Böttger / Mœvens. Borust.

ROSTOCHI, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typographi, A. 1703.

PARTES  
RESPONDENDI & OPPONENDI ORDINARIÆ,

*Nobilissimis Collegii hujus Auditoribus*

Ita imponendæ, ut, qvi in prioribus qvatuor Disputationibus fuerunt Respondentes, iidem in qvatuor seqventibus fiant Opponentes, & contâ, adeoque octo disputationibus absolutis, eadem partes in or-

bem recurrent, atqve ita porro.

Primua tamen J. S. Richteru aliis qvandoque absentibus, semper ad respondendum vel opponendum paratus erit.

Cœteris Assistentibus & Assumentibus permutare etiam vices liebit.

*Class. I.* disputabit, eritq;

In Di pp. I. IX. XVII.

Respp. Assistens J. Deich.

Assumens J. F. Knüppel.

Opp. Primarius J. Posselius.

Secundarius T. C. Parpard.

*Class. II.*

In Dispp. II. X. XVIII.

Respp. Assist. P. J. Craaz.

Assum. F. C. Peetsche.

Opponentes J. C. Frese.

J. H. Hartung.

*Class. III.*

In Dispp. III. XI. XIX.

Respp. Assist D G. Kamerike.

Assum. C. Schütze.

Opponentes G. Monradus.

S. Kunowsky.

*Class. IV.*

In Dispp. IV. XII. XX.

Respp. Assist. D. Frande.

Assum. C. H. Elswich.

Opponentes F. Schönholz.

M. Böttger.

*Class. I.* permutatis vicibus.

In Dispp. V. XIII. XXI.

Respp. Assist. J. Posselius.

Assum. T. C. Parpard.

Opp. Primarius J. Deich.

Secundarius J. F. Knüppel.

*Class. II.*

In Dispp. VI. XIV. XXII.

Respp. Assist. J. C. Frese.

Assum. J. H. Hartung.

Opponentes P. J. Craaz.

F. C. Peetsche.

*Class. III.*

In Dispp. VII. XV. XXIII.

Respp. Assist. G. Monradus.

Assum. S. Kunowsky.

Opponentes D. G. Kamerike.

C. Schütze.

*Class. IV.*

In Dispp. VIII. XVI. XXIV.

Respp. Assist. F. Schönholz.

Assum. M. Böttger.

Opponentes D. Frande.

C. H. Elswich.

EXTRA ORDINEM quoqve reliqui Auditores,

Auditis Opponentibus ordinariis, unum proponere Argumentum tenentur,  
& alii quoq; extra ordinem iis respondebunt, ut ita omnibus aula detur domini mate-  
riam Disputationis tractandi.

**DISP. I. de THEOLOGIA in genere & OBJECTO ejus  
generali, RELIGIONE.**



1.

Heologia revelata tam acroamatica,  
quam catechetica in Ecclesia militante  
est necessaria.

2. Theologia quoque Polemica &  
Disputationes de fide sunt licitæ.

3. Theologia essentialiter considerata  
non est doctrina, sed habitus & quidem  
Gesordor practicalis.

4. Non alia sunt post lapsum quoad substantialia religio Adamitica,  
Abrahamitica & Israelitica s. V. Testamenti, à Christiana s. N. T. sed  
una eademque.

5. Ad religionem & fidem nemo est cogendus.

6. Magistratum Christianum plures (ut ita loquuntur) religiones  
in Republ' sua tolerare posse aut debere, non simpliciter negamus.

7. De religionis veritate ex studio pietatis externo in sensu incur-  
rente judicandum non est, adeoque Novatores fanatici, qui sub specie  
pietatis separare se à nobis & errores disseminare graviores student,  
maximopere fuit fugiendi.

**DISP II. De PRINCIPIO THEOL. generatim,  
& de SCRIPTURA S. speciatim.**

1. Theologia principium cognoscendi & quidem unicum & ad-  
qvatum est Scriptura S. Canonica, adeoque nec primitiva Ecclesia nec  
Patrum priorum à Christi nativitate seculorum consensus, nec Ro-  
mani Pontificis decreta & definitiones & similia pro Theologia prin-  
cipio sunt habenda.

2. Scriptura S. originalis non tantum quoad res & quidem o-  
mnes tum primarias tum secundarias, sed & quoad verba singula est  
Gesuvus.

3. Non tantum Scriptura V. sed & N. T. jussu & voluntate DEI,  
sacros Scriptores, Prophetas & Apostolos ad scribendum peculiari-  
ter moventis atque impellentis, consignata est.

A

4. Unius

4. Unius propositionis Scripturæ S. unicus tantum sensus literalis est.

.5 Textus Ebræus V. & Græcus N. T. solus est authenticus , ad quem tanquam ad fontem s. Scripturam originalem in interpretationibus & controversiis semper recurrentum, adeoque

.6. Nulla versio, nec speciatim Vulgata latina , pro authenticâ est habenda nee fonti æquiparanda , sed ad illum examinanda & emendanda.

### DISP. II. De SCRIPTURÆ S. AFFECTIONIBUS.

1. Scripturæ S. autoritas summa & divina est , qvæ suis ipsius ~~ægyptiis~~ sibi constat, ita ut ab Ecclesiæ autoritate non dependeat.

2. Eadem & perfectè, plenè, & sufficienter de omnibus ad fidem & vitam Christianam adeoque ad salutem necessariis nos instruit. Unde

3. Verbum non scriptum h. e. Traditiones Pontificias dogmaticas non scriptas, pari pietatis affectu cum verbo DEI scripto non recipimus sed repudiamus.

4. Eadem licet hinc inde ~~δυστρέψεις~~ s. ~~δυστρέψεις~~ adeoque obscuriora contineat; in illis tamen , qvæ ad salutem scitu sunt necessaria, tam clara & perspicua est, ut à qvilibet lingvæ, in qua legit Scripturam, gñaro debitoq; illam modo scrutante, intelligi queat. Siqvidem

5. Ipſa vel potius Spiritus S. in & per scripturam loquens, in rebus fidei obscuriūs alicubi positis, interpres sui existit, non excluso Doctorum Ecclesiæ ministerio : unde &

6. Sensus scripturæ non demum ex scrinio cordis Rom. Pontificis, tanquam controversiarum judicis, sed ex ipſa est scriptura , tanquam judice omnium controversiarum, vel potius voce judicis supremi & infallibilis Spiritus S. & norma adæqvata , qvam judex inferior in dijudicandis fidei controversiis unicè debet respicere, petendus adeoque Scriptura per scripturam explicanda,

7. Tantumque hinc abest , ut Laici à lectione scripturarum sint arcendi, ut potius ad illammet invitandi, & hoc sine

8. Eadem quoque ex ipſius DEI ordinatione & voluntate divinam intrinsecam & sufficientem habet efficaciam homines convertendi, nec in illuminatione vel conversione hominis superiori Spiritus S. elevatione indigeret, ac si nudum instrumentum esset.

10. Eadem

9. Eadem qvoad cānonem universum est integrā, nec ulli ex ēodēm  
libri perierunt, & qvoad fontes incorrupta.

*DIEP. IV. de ARTICULIS FIDEI & DEO absolute  
considerato.*

1. Non omnes articuli doctrinæ fidei, ad salutem creditu necessarii,  
āv<sup>m</sup>λεξ̄ in Scripturis extant.

2. Cum articulus fidei pars sit doctrinæ coelestis, de objecto spiritua-  
li ad salutem æternam credendo, scripturāque Canonica revelato, solus  
certè DEUS, non vero Ecclesia nec Papa Rom. articulos fidei conde-  
re potest.

3. Cumqve inevidentes iidem ac sublimes sint, rationis decempe-  
dā minime lunt normandi.

4. Calvinianos in fundamentalibus fidei Articulis, à nobis Luthe-  
ratis dissidere certum est.

5. Datur *Geoffwia* non tantum supernaturalis, sed & naturalis;  
qvæ tamen mutila & manca est, adeoqve ad salutem æternam haut  
sufficiens.

6. Nomen JEHOVAH absolutè positum est DEI essentiale pro-  
prium, nullis omnino creaturis communicabile, nec ulli creaturæ ex-  
tra DEum subsistenti in scripturis commune.

7. Nomen qvoqve ELOHIM propriè sumtum soli DEO competit  
& qvandam Personarum divinarum pluralitatem designat.

8. Essentia DEI, qvæ revera sed eminenter ipsi competit, est spi-  
ritualis infinita, sicut & attributa verè sunt in DEO, deqve ipso per  
modum affectionum prædicantur, licet ab essentia ejus & inter se rea-  
liter non differant.

9. Verus DEUS tantum unus est, cuius essentia omnis composi-  
tionis expers.

10. Idem ictus DEUS est æternus absqve omni successione.

11. In eodem est justitia vindicatrix sine satisfactione peccata non  
remittens.

*DISP. V. de DEO in ordine ad MYSTERIUM TRINITATIS  
considerato.*

1. In illa DEI essentia plures unā ( Patris, sc. ) & qvidem tres per-  
sonæ sunt.

A 2

2. Myster-

2. Mysterium S. Trinitatis ex naturâ nec demonstrari nec oppugnari potest ac debet.

3. Idem ex S. Scripturis citra Ecclesiæ traditionem evidentissimè innotescit, imo ex solo quoque V. T. evidenter solidèque probatur.

4. Idem omnibus salvandis creditu necessarium est.

5. Pater prima persona verè proprièque Christi Pater est.

6. Christus Filius DEI naturalis, ab æterno ex Patris essentia genus Patrique ὄμορφος, adeoque verus naturâ & æternus est DEUS.

7. Spiritus quoque S. distincta est à Patre Filioque persona divina, adeoque verus & naturâ DEUS, Patri Filioque ὄμορφος, ab utroque ab æterno procedens.

**DISP. VI. de OPERIBUS DEI, CREATIONE,  
ANGELIS & HOMINE.**

1. Creationis cœli terræque cœla efficiens est unus & solus DEUS Pater, Filius & Spiritus S. quæ tamen tres personæ causæ creationis sociæ non sunt appellandæ.

2. Immediata creationis hujns universi materia est nulla ; sed primitus omnia ex nihilo purè negativo sunt creata.

3. Illa vero mundi ex nihilo intra sextiduum facta creatio est purus fidei articulus.

4. Cœlum, quod empyreum s. igneum vocant, & quibusdam DEO palatium, angelis v. & beatis domicilium præbere singitur, non est ante omnia in primo creationis instanti productum.

5. Angeli non sunt creatores mundi, neque fuerunt ab æterno ; sed in tempore unâ cum reliquis creaturis sunt conditi; quo vero die id factum, non liquet.

6. Non tamen ex substantia DEI, neque ex præexistente materia sunt creati, adeoque corporei non sunt, sed spiritus.

7. Angeli religioso adorationis cultu non sunt prolequendi.

8. Angelus quidam, qui Patribus in V. T. apparuit, fuit increatus, nempe DEI filius.

9. Omnes angeli ab initio æqualiter boni sunt creati; ex quibus v. nonnulli ante lapsum hominis sunt lapsi, horumq; primum fuisse peccatum superbiam & affectatam DEI confirmitatem, non dubitamus,

10. Adam omnium hominum primus fuit. 12. Animæ humanæ à DEO quotidie non creantur sed per traducem propagantur.

DISP.

**DISP. VII. de OPERE PROVIDENTIÆ ut & FINE THEOL.**  
**VITA ÆTERNA ejusq; opposito MORTE ÆTERNA.**

1. Providentia datur divina , cuius objectum primarium sunt Angeli & homines , & generatim quidem omnes , speciatim v. pii ; secundarium v. sunt reliqua creata omnia .
2. DEUS quidem omnia prævidet ; prævisio tamen ejus necessitatem prævisis non imponit .
3. Beatitudo quidem æterna in visione etiam DEI , ultimatò tamen & præcipue in fruitione & amore DEI consistit .
4. Sicut in vita æterna certi gloriae gradus pro passionum operumq; bonorum diversitate , ita & in inferno diversi poenæ gradus dabuntur .
5. Angeli mali & damnati nullam ex inferno emergendi spem habent .

**DISP. VIII. de STATU INTEGRITATIS.**

1. Primus homo non est ab initio in statu quasi neutrali h. e. in puris naturalibus vel in ignorantia quadam infantili creatus .
2. Nec conditus est cum dissidio & rebellione quadam appetitus sensitivi & rationis , sed ad imaginem DEI .
3. Hæc v. imago DEI propriè dicta non fuit ipsa hominis substantia , sed aliquid accidentale .
4. Constitut illa non tantum in externo super creaturas visibiles dominio , sed & in sapientia , justitia , & sanctitate & quidem principali- ter ; secundariò autem in corporis impassibilitate & immortalitate , uti & in dicto jam dominio .
5. Non tamen hæc imago donum sicut supernaturale vel accessori- um s. externum naturæ ornementum , naturalibus superaditum virtutibus ; sed naturalis & intrinseca quædam hominis perfectio .
6. Subjectum quod imaginis hujus non tantum fuit Adam , sed & Eva .
7. Eadem vero Imago DEI per lapsu primorum parentum est admissa .

**DISP. IX. de PECCATO ORIG.**

1. Peccatum Adamiticum verè meritoque toti humano generi im- putatur .
2. Peccatum originale ex primo ortum non est figmentum , sed ve- rè datur , & in nos per carnalem generationem propagatur .

A 3

3. Omnes

3. Omnes homines, quotquot post lapsum à Protoplatis descendunt, præter Dominum nostrum J. C. ipsa etiam Virgo Deipara, sunt peccati orig. subjectum denominationis.

4. Subjectum inhæsionis primarium est anima, adeoque P. Orig. non est ipsa hominis substantia s. natura, sed aliquid ab ea distinctum, ut accidens à subiecto.

5. Idem formaliter consistit non in nuda carentia; sed tum in habitualis boni, justitiae sc. originalis, privatione, tum in contraria formæ, profundissimæ sc. corruptionis, qvæ prava dicitur concupiscentia, positione.

6. Hæc concupiscentia, in baptizatis & renatis residua, est peccatum veri nominis proprièque dictum.

#### **DISP. X. de PECC. ACTUALI & LIBERO ARBITRIO.**

1. Peccati actualis subjectum sunt omnes omnino homines nudi, etiam infantes, atque adeo qvilibet homo etiam renatus le peccatorum, Decalogi transgressorum, juxta qvæstiones minori Cathechismo Lutheri adjectas, fateri necessum habet.

2. Inter actualia peccata eminet peccatum in Spiritum S. qvod in solos cadit verè renatos, & verè proprièque est peccatum, imo & ex parte & culpa peccantis irremissibile.

3. Qvamvis adhuc post lapsum in naturalibus & civilibus liberum habeatur arbitrium; in merè spiritualibus tamen illud servum est.

4. Ad sui enim conversionem, ex viribus suis naturalibus, ne modicum qvidem, imo nihil conferre homo potest, sed illa in solidum & simpliciter unius & solius Spiritus S. est opus, ita ut homo nec in ingressu nec in progressu eidem cooperetur; sed demum post conversionem, in quotidianis penitentia exercitiis, per vires gratie cooperari incipiat.

#### **DISP. XI. de BENEVOLENTIA DEI UNIIVERSALI, uti & de SPECIALI, in PRÆDESTINATIONE ad vitam aeternam conspicua.**

1. Benevolentia DEI univerialis, alias dicta voluntas antecedens, non est inefficax desiderium simplicis complacentiæ, sed ieria & efficacissima, qvamvis ordinata voluntas DEI, per destinationem sufficienium & efficacium salutis mediorum, in universum genus humanum in miseria constitutum, nullo hominum excepto, le diffundens.

2. Præ-

2. Prædestination & electio qvoad rem significatam Synonyma sunt.
3. Causa electionis movens interna est gratia DEI merè gratuita, adeoq; electio hominum non propter prævisa ipsorum merita est facta.
4. Causa movens externa est meritum Christi, ratione prævisa applicationis finalis, à quibusdam per fidem factæ, spectatum; adeoq; decreum electionis non est abolutum sed conditionatum, & fides finalis meritum Christi apprehendens electionis circulum ingreditur.
5. Objectum prædestinationis adæquatum sunt homines non quatales, nec quia integri, sed lapsi, in Christum finaliter credituri.
6. Electio non est universalis, sed paucorum & certorum quidem nominatim hominum, non in tempore sed ab æterno facta.
7. Eadem est immutabilis, ita ut electi perire nequeant, licet per peccata mortalia gratiam DEI & fidem totaliter amittere possint.
8. Ut electio sub prævisa fide, ita & reprobatio quorundam hominum ob prævisam incredulitatem finalem, adeoque non ex abolutio est odio facta.

**DISP. XII. De CHRISTI REDECTORIS PERSONA, No-**  
**minibus, naturis, barumque & idioma-**  
**tum communicatione.**

1. Redemptor lapsi hominis Messias, Patribus in V. T. promissus, pridem est exhibitus, idemque Jesus est Nazarenus.
2. Appellativum ejus nomen Messias s. Christus, totius quidem personæ est; unctio tamen, quam nomen hoc indigit, juxta humantum naturam personæ huic competit.
3. Cum duæ in persona Redemptoris naturæ propter officium mediatorum esse deberent, hinc λόγος i. e. Filius Dei humanam assumit naturam, & verè incarnatus est.
4. Qvod Messias futurus esset Ιακωβος genusque humanum morte sibi redempturus, in in V. quoque T. revelatum, credituque necessarium fuit.
5. Natura hæc assumta est vera & integra, non ex nihilo creata, neque de cœlo delapsa, sed in & ex Maria Virgine sine virili semine concepta & nata, adeoque nobis ὁμοίος, propriâ tamen humana hypostasi destituta.
6. Eidem verò naturæ assumtæ hypostasis & λόγος verè & realiter est communicata, ita ut in hypostasi & λόγῳ subsistat,

7. Christus

7. Christus juxta hum. naturam sic assumtam non est filius DEI adoptivus, sed naturalis.

8. Finis incarnationis est tum unio naturarum personalis , qvæ facta est non tantum indistincter sed & inconsulē &c. tum hominis lapsi redentio, adeoqve Filius DEI in carnem hanc venisset, si homo non peccasset.

9. Ex unione illa naturarum fluit vera & realis idiomatum communicationis, cujus genera sunt tria.

10. Juxta secundum genus divina & **λόγος** natura carni assumta idiomata essentialia, infinita & invereata in & per unionem personalem communicavit.

11. Præter Christum externum non datur etiam internus, qvi verè & propriè loquendo in nobis etiamnum concipiatur, nascatur, patiatur moriatur, resurgat, &c. ita ut ex inde caro de carne ejus simus.

### *DISP. XIII. De TRIPLO OFFICIO CHRISTI.*

1. Propheticum Christi officium principaliter consistit in sufficien-  
tissima divinæ veritatis Evangelicæ de nostra salute annunciatione, cum  
mediatè tum immediate facta ; secundariò a. occasione data , in vera  
legis interpretatione, non nova legislatione, nec novarum promissio-  
num e. c. de vita æterna, promulgatione.

2. Sacerdotale consistit partim in spontanea veraqve sui ipsius ,  
tanquam sacrificii verè propitiatorii oblatione , qva ipse secundum  
utramqve naturam & quidem solus mediator noster , propriè lo-  
quendo sacerdos, DEO Trinuno, (cujus infinita & vindicatrix justi-  
tia peccatis erat lœsa) pro omnibus omnino peccatis & peccatorum  
penis , post voluntariam interventionem sibi imputatis & impositis  
sufficientissimè in terris inqve ara crucis satisfecit , partim & **deu[el]igens**  
in vera proprieqve dicta intercessione , qvā ipse advocatus noster apud  
DEUM vigore meriti non tantum in terris fuit, sed etiamnum in coe-  
lis est.

3. In officio tandem Regio CHRISTUS non est DEI Patris in  
Ecclesia adhuc dominantis vicarius , sed ipse DEUS & Rex, eadem  
cum Patre divina summaqve potestate gaudens , regnumqve poten-  
tiæ , gratiæ & gloriæ secundum utramqve naturam præsentissimè  
nunquam finiendo potentia & gloriæ regimine , divino planè modo  
administrans.

4. Redem-

4. Redemptio pér solum sanè Christum omnibus omnino homi-  
nibus præstata , vera est proprièque dicta redemptio, interventu veri  
pretii pro nobis soluti facta.

5. Redemptio hæc tantum extra nos & pro nobis per meritum  
Christi facta est , non etiam in nobis à Christo per sanctificationem  
& renovationem fieri debet.

6. Unde Christus non tum demum perfec̄tus evadit Salvator,  
cum peccata in nobis destruit plenèque nos sanctificat ; sed holosoter  
jam per mortem crucis factus est.

#### DISP. XIV. de DUPLO STATU CHRISTI.

1. Status Christi duo tantum sunt , exinanitionis & exaltationis.

2. Exinanitionis forma consistit non in sola divinæ majestatis , qvam  
ex unione personali possidebat, occultatione , ita ut juxta carnem omnia  
in coelo & terra, etiam mediâ in morte , licet occulte & latenter, guber-  
narit ; sed tum privative in vera & reali , spontanea tamen & tempora-  
ria formæ DEI communicatæ (h. c. status divini gloriosi humanæ natu-  
ræ communicati) qvoad plenarium atque incessantem majestatis divinæ  
usum, evacuatione : tum positivæ in formæ servi assumptio & extrema  
humiliatione.

3. In conceptione Christi DEUS nequaquam vices viri supplevit,  
nec Christus ideo filius DEI vocatur , qvod miraculosè à Spiritu S. fit  
conceptus.

4. Passionis & mortis, verè proprièque & vicario quidem modo fa-  
ctæ, subjectum qvod non est solus & nudus homo , non DEus Pater &c.  
sed DEI filius evançœ̄ ; ad illud verò, qvod passus est Christus, dolo-  
res quoqve infernales spectant.

5. In triduana morte (qya quidem corpus & anima realiter à se in-  
vicem soluta & verè separata , nihilominus tamen ambo illocaliter in  
iunctu: τὸ λόγος semper unita, nec unquam ab ea fuerunt separata )  
non desit Christus esse DEI filius, nec verus juxta scripturæ sensum ho-  
mo, nec Deā̄ Ipot̄̄.

6. Exaltationis forma non consistit in manifestatione glorie &c.  
sed in vera , reali & quidem graduali, ad plenariam , universalem & in-  
cessantem Majestatis communicatæ & possessæ usurpationem , eve-  
ctione.

B

7. Dec.

7. Descensus ejus ad inferos, qva Christus ~~de~~<sup>in</sup>feros ante triduum juxta carnem mortuus jam vivificatus, post sepulturam, ante sumam e mortuis resurrectionem, non tantum secundum animam sed & secundum corpus, verè & realiter ad ~~ter~~<sup>tertium</sup> damnatorum abiit, ) est primus exaltationis actus s. gradus, à morte & sepultura realiter distinctus, adeoqve peculiaris fidei articulus.

8. Resurrexit idem clauso sepulchro, propriâ virtute divinâ, eademqve ipsâ virtute divinâ, & eodem corpore, qvod exinanitum, qvod qve hodienum habet, ad cœlos divinae Majestatis ascendit.

9. Sessio Christi ad dextram DEI Patris importat divinam dominationem.

#### **DISP. XV. De VOCATIONE, REGENER, & CONVERSIONE,**

1. Spiritus S. Paternam DEI commiserationem & fraternam Christi redēctionem nobis applicaturus, primò gratiosâ *vocatione* non tantum omnibus & singulis hominibus lapsis misericordissimam DEI voluntatem annunciare & beneficia à Christo parta per verbi prædicationem offerre seriò intendit: sed & universalem & benevolam hanc intentionem diversis modis temporibusqve actu secundo executus est.

2. *Regeneratio* (cujus non solum adulti sed & infantes sunt capaces) est virium credendi collatio, adeoqve non est substantialis sed accidentalis & spiritualis, non inamissibilis sed amissibilis, & reiterabilis hominum, qvoad intellectum & voluntatem, mutatio.

3. *Conversione* (qvæ propriè de infantibus non dicitur) est solius & unius gratiæ DEI opus, qvæ tamen resistibilis, ita ut homo, qvi non patim activè partim passivè, sed unicè hic passivè se habet, ad sui conversionem nil qvicquam quidem cooperari, gratiæ verò conversionis resistere possit.

4. Doctrinam de illuminatione haud aversamur nisi in sensu fanatico-Pietistico, eamque antecedere sanctificationem & purgationem animæ à peccatis, & per externum DEI verbum fieri, quippe qvod per se spirituales verèqve divinas operationes edere potest, adeoqve & per Doctores & Ministros verbi verè proprièqve loquendo homines illuminari, constanter docemus.

#### **DISP. XVI. de POENITENTIA & CONFESSIO.**

1. Lapsis post Baptismum & conversionem redditus ad remissionem

pec-

peccatorum patet per poenitentiam, qvocunqve tempore & qvotiescunque (vid. Apol. A. C. p. 161.) cum convertuntur in hac vita patet.

2. Dua tantum poenitentiaæ partes sunt, nempe contritio & fides, & quidem fides est nobilior pars; contritio autem non est meritoria neque justificationis causa.

3. Confessio quidem peccatorum est comes contritionis cum fide in Christi meritum temperata; non tamen pars poenitentiaæ, neque satisfactionis pars ejusdem censeatur.

4. Obedientia nova & bona opera fructus quidem poenitentiaæ & fidei sunt, non autem veris atque essentialibus poenitentiaæ partibus numeranda.

5. Perperam à Novatoribus etiam tres poenitentiaæ partes contra Aug. Conf. constituantur, nempe cognitio peccati, contritio & fides.

6. Qui docent, DEum multis hominibus ante finem temporalis viæ terminum gratiæ & salutis impetranda peremptorium posuisse, ita ut hoc præterlapsi gratia DEI revocans iisdem penitus denegetur & nulla ipsis venia spes super sit, illi characterem verorum Aug. Confessionis Sociorum non sustinent, immo & Novatianismum, Artic. 12. A. C. datum, qvodammodo reducunt.

7. Privata peccatorum confessio & Sacerdotalis absolutio, qvæ nostris in Ecclesiis ante ulum Eucharistiæ, inde à Lutheri temporibus, recepta est, non est ritus Anti-Christianus, adeoque in nostris quidem Ecclesiis piè satis rectèque juxta XI. Aug. Conf. articulum, aliasque libros Symbolicos retinetur, ex qvibus Apologia A. C. p. 181. Artic. 6. dicit: impium esset privatam absolutionem ex Ecclesia tollere; specialis tamen omnium peccatorum enumeratio in eadem non est necessaria neque exigenda.

#### DISP. XVII. De JUSTIFICATIONE, UNIONE CREDENTIUM CUM DEO & RENOVATIONE.

1. Justificationis vocabulum forensem hic significationem habet.

2. Causa justificationis impellens est gratia DEI, qvæ non notat hic effectum gratiæ s. dona spiritualia s. charitatem à DEO infusam, sed effectum favoris DEI merè gratuitum, eumque universalem quidem, non tamen absolutum, sed ordinatum, nempe in merito Christi fundatum, ab illoque promeritum.

3. Causa enim meritoria justificationis est unicum & sufficientissimum

num idemque universalissimum obedientia Christi mediatoriae & satisfactoriae, DEO pro nobis praestitae, meritum.

4. Causa formalis non consistit in justitia sive infusione s. inhæsione, sed partim in non imputatione injustitiae nostræ s. in remissione peccatorum, partim in meritoria Christi justitia per fidem apprehensæ imputatæ, non putativa vel imaginaria, sed realissima & vera.

5. Causa instrumentalis à parte nostra est fides in Christi meritum & quidem sola, per quam in V. quaque T. homines sunt salvi.

6. Non justificamur intrinsecus per novam eamque divinam natu-  
ram, quam accipere nos per regenerationem Novatores crepat, neque  
justificamur juxta eosdem per fidem, tanquam spiritualem vitam, qua  
Christum intra nos operantem persentiscimus.

7. Unio credentium mystica cum DEO non consistit tantum in gratiola operatione & donorum communicatione, sed & in propiore  
ipsius substantia S. Trin. & Christi ḡαρθως cum substantia credentis  
conjunctione.

8. Uno spiritualis non est fundamentum justificationis, ceu Novato-  
res statuant; sed potius ejusdem effectus.

9. Non solum per fidem, sed & per charitatem, tanquam causam à  
parte hominis medianam, DEO nos uniti perperam idem docent.

10. Renovatio (qua penitentiae & justificationis effectus est) vel san-  
ctificatio renatorum & justificatorum, licet propter peccatum adha-  
rens in hac vita sit imperfecta; omnibus tamen viribus ad veram perse-  
ctionem contendere renati & renovati debent.

11. Non tamen in hac vita cuiquam homini possibile est, in sanctifi-  
catione eò pervenire, ut proficere amplius nequeat.

#### *DISP. XVIII. De VERBO LEGIS & EVANGELII.*

1. Utriusque verbi DEI, legis & Evangelii, suus est isque peculiaris  
in actibus applicatrixis Spiritus S. gratia ulus, licet quoad theoriam  
maxime distincta.

2. Hinc in Ecclesia non tantum Evangelii, sed & legis doctrina præ-  
dicanda est.

3. Sola autem legis prædicatio homines verè pios non reddit.

4. Evangelium quoque contumacibus & induratis prædicandum est.

5. Solus & omnis homo ad æquatum est legis moralis subjectum.

6. Lex moralis, quæ in V. T. non sicut imperfectior quam in novo,  
hodie-

hodienum quidem per se perfectam reqvirit obedientiam; nullus tamen hominum post lapsum eandem viribus s. naturæ s. gratiæ perfectè potest implere.

7. Christus mediator, qvi legem pro nobis implevit, non est novus legislator.

8. Legem monstrare Christum mediatorem, ad eumque manu qvæsi nos ducere, nihilqve magis cupere qvàm ut Christum qværamus, perperam Novatores docent.

9. Verbum Evangelii, cum legi opponitur, circa DEI gratiam in Christo versatur & promissiones ejus merè sunt gratuitæ.

10. Unum idemqve est V. & N. T. Evangelium.

11. Hinc Evangelium propriè & curatè loquendo pénitentiæ concio non est, neqye est doctrina operum; neq; sub conditione operum antecedenter præstandorum foedus Evangelii à DEO pactum est.

12. Nihilominus tamen gratiæ DEI per Evangelium nobis oblatæ causa finalis est, ut per fidem in Christum justificati non impie juxta carnem, sed potius sobriè, & justè pièque juxta legem vivamus, unde & nos sanctificat & ad præstanta bona opera, qvæ lex reqvirit ac præscribit, virtutem largitur Tit 2. 12. 14. 1 Pet. 2. 24. Conf. Catech. Luth. Art. 3. ibi: auß daß ich sein eigen sei / ihm diene in rechtschaffener Gerechtigkeit etc.

13. Verbum DEI debere priùs in nobis vivificari, qvàm in nobis operari possit, fanaticè docetur.

**DISP. XIX. De SACRAMENTIS generatim, & speciatim de SACR. V. T. uti & de BAPTISMO.**

1. Ministri qualitas uti non addit, ita nec detrahit Sacramento, nec intentio ejus ad integratatem Sacmentorum reqviritur.

2. Tam V. qvam N. T. Sacraenta sunt efficacia gratiæ media & sigilla.

3. Ut V. ita & N. T. Sacraenta curatè loquendo duo tantum sunt.

4. Circumcisio abrogata est Christo in carne exhibito.

5. Agnus Paſchalis non fuit sacrificium proprio dictum, sed Sacramentum.

6. Baptismus aquæ non est ceremonia indifferens tieque tempora, sed actio à Christo instituta & perpetuum N. T. Sacmentum, adeoque utsus ejus ad salutem necessarius, licet non abſolute.

7. Baptismus Johannis idem sicut sp̄cie & efficacia cum Christi Baptismo.

8. Objectum baptismi sunt quoque infantes, quorum certè baptis-  
mus (si vel maximè dilata ejus exempla in scripturis non extarent) ne-  
cessarius utilisque ex Scripturis colligitur, adeoque in ecclesiis nostris  
retinendus est. Si tamen infantes ante baptismum sine contemptu &  
parentum culpā extingvantur, salus iis simpliciter deneganda non est.

9. Materia ex qua Baptismi non tantum datur terrestris nempe aqua,  
sed & cœlestis, quae est S. Trinitas & peculiari ratione Spiritus S.

10. Finis & effectus Baptismi respectu omnium baptizatorum est gra-  
tia divina & salutis oblatio, respectu infantum regeneratio & ingratiam  
receptio; respectu adulorum fidei gratia & confirmationis.

#### *DISP. XX. de S. COENA & TESTAMENTIS DIVINIS.*

1. Norma Sacramenti Eucharistiae est verbum institutionis, à cuius  
epitome non est recedendum.

2. Non tantum panis & vinum sunt S. Coenæ materia, sed & corpus  
& sanguinis Christi, qui verè & substantialiter quidem in S. Coena adiunguntur,  
atque ore corporis in & cum pane ac vino accipiuntur; sed tamen in  
corpus & sanguinem Christi non transubstantiantur.

3. Sacramentum mutilant & grande sacrilegium committunt, qui  
per invasione concubantia sub una panis specie S. Coenam dispensant,  
adeoque calicem Laicis & Clericis non confidentibus subtrahunt,

4. In S. Coena sacrificium formaliter propitiatorium DEO non  
offertur.

5. Omnibus Christianis Eucharistiae Sacramentum est institutum, qui  
probare se possunt, adeoque infantibus porrigidum non est; nihilo-  
minus tamen indigni quoque substantiam Sacramenti accipiunt.

6. Veteris & N. Testamentum non ipsa differunt substantia, sed so-  
lùm accidentario dispensationis modo.

7. Non minus priscis fidelibus sub V. T. quam nobis sub N. T. bo-  
na spiritualia & æterna fuerunt promissa.

8. N. T. non habet annexam bonorum operum conditionem.

#### *DISP. XXI. de FIDE JUSTIFICANTE, BONIS OPERIBUS, borumque EXERCITIO, CRUCE & ORATIONE.*

1. Fides justificans, materialiter spectata, non tantum est assensus,  
sed

sed & notitia credendorum & qvidem explicita , imprimis fiducia specialis.

2. Objectum fidei proprium est specialis DEI gratia in Christo.

3. In qvo ergo notitia est promissionum Evangelicarum & assensus iisdem præbitus, uti & fiducia in Christi meritum, in eo fidem esse justificantem infallibiliter concludimus.

4. Fides non elevatur sic à DEO, ut ipsa , per se licet imperfecta sit, pro perfecta tamen justitia nobis à DEO imputetur, adeoque non influit in justificationem meritorie ut opus, sed per modum organi, obedientiam Christi apprehendendo & appropriando.

5. Fidem prius esse vivam debere, qvam justificare possit, perperam Novatores docent.

6. Qui charitatem dicunt ipsam esse fidem , qva justificamur, & resignationem sui ipsius, aut imitationem Christi formam & vitam fidei docent, Pontificiorum fidem formatam non obscurè reducunt.

7. Bona Opera & obedientia DEO præstanta sunt effectus , signa & testimonia fidei, non verò ejus forma vel anima.

8. Irrit regitorum opera laudabilia non sunt verè bona nec DEO placent.

9. Bona opera à DEO mandata sunt qvidem necessaria, non verò ad salutem, nec vitæ æternæ meritoria : sunt enim.

10. Bona opera fidelium imperfecta maximeqve debita.

11. Afflictio qvidem suo est modo conversionis nostræ medium, non tamen causa efficiens vel meritoria salutis æternæ.

12. Neqve Angeli, neqve Sancti in Domino defuncti , religioso adorationis cultu sunt excipiendi.

13. Nec imagines nec reliquia Christi & Sanctorum (si qvæ luperfunt) religioso cultu iunt proseqvendæ.

14. Natura Christi humana in unione personali una eademqve adoratione cum ipsa divina Filii DEI natura religiosè colenda est.

12. Pro defunctis non est orandum.

#### *DISP. XXII. De TRIPLOSTATU vel ORDINE HOMINUM in Ecclesia.*

1. Ad Ministerium Ecclesiasticum rite obeundum requiritur vocatio peculiaris personæ habilis & idoneæ ; vocandi verò potestas ad totam spectat Ecclesiam.

2. B. Nofer

2. B. Noster Lutherus non absqve legitima vocatione docuit & contra Pontificios abusus scripsit.

3. In Ecclesiis quoque nostris verus est ordo Ecclesiasticus & legitima Ministerorum vocatio.

4. Inquietorum fanaticorum somnia pridem in Aug. Conf. rejecta resuscitant, magnamque *anomia* introducunt, qui omnes sacerdotes spirituales (quales sunt Christiani fideles) posse actus Ministerio Ecclesiastico competentes ex jure sacerdotii spiritualis, & internæ, quæ jactatur, vocationis exercere.

5. Idonei Ecclesiæ Ministri in Scholis & Acad. præparantur, quæ propterea plurimum ornari & sufficienter nutriti merentur.

6. Ministris Ecclesiæ perinde ac coeteris hominibus uxorem ducere licet.

7. Magistratus politicus est ordinatio divina statusque DEO placens & in Ecclesia necessarius, quo Christianus salva pietate & conscientia fungi potest.

8. Magistratu Christiano integrum est iudicia exercere & Christiano coram iudicio contra proximum agere licet.

9. Imaginaria quidem Novatorum sanctitas docet, Christianum ab alio Iesum non posse salva pietate vindictam sumere nec judicium & auxilium Magistratus vindictæ causa implorare; sed ipsa praxi sua, qua orthodoxos pro veritate militantes, vel calumniosissimis saepe scriptis sub nomine ficto impudentissime excipiunt, vel coram Magistratu illos deferre & vindictam postulare sustinent, doctrinæ suæ turpissimè contradicunt.

10. Eisdem magistrarui potestas sumendi penas capitales de facinoris, & bellum gerendi justum deneganda non est.

18. Ad legitimum conjugium requiritur non modò contrahentium sed & parentum, vel qui parentum loco sunt, consensus.

#### *DISP. XXIII. de ECCLESIA & ANTI-CHRISTO.*

1. Ecclesia strictè, propriè & principaliter est congregatio sanctorum & verè credentium; non v. tantum electorum.

2. Ecclesia quidem est visibilis non tamen absolutè, siquidem aliò quoque respectu invisibilis est.

3. Notæ Ecclesiæ (particularis, visibilis & purioris) principales & essentiales sunt pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio.

4. Caput

4. Caput & Monarcha Ecclesiæ universalis solus est Christus, adeo quidem ut nec Papa Rom. nec alius in terris ejus sit vicarius & Ecclesiæ caput visibile, qui privilegio infallibilitatis gaudet.

5. Ecclesia quidem universalis & invisibilis perpetuè secundum se duratura & inerrabilis est hypotheticè, adeoque nec erravit nec errat in fundamento fidei, nec deficere potest; particularis tamen & quælibet visibilis, etiamsi à Petro plantata, etiam in fundamentalibus potest errare, immo & finaliter deficere, cum nulla harum, adeoque nec Romana (quæ particularis est) indefectibilitatis privilegium accepit.

6. Etiam concilia (Ecclesia representativa) errare possunt atque errant.

7. Nomen Ecclesiæ Catholicæ de jure non competit cœtu Papali, qui nihil minus quam Catholicus est.

8. Ecclesia Lutherana non est nova nec hæretica nec acatholica, sed Apostolica renovata verèque Catholicæ & orthodoxa.

9. Qui nostram Lutheranorum Ecclesiam infraimam Babelis mysticæ traducunt, ipsi viam ad confusione plusquam Babelicam sternere rectius deprehenduntur.

10. Ecclesia, quæ in partibus simpliciter omnibus regulæ Christi conformis sit, in hac terra non reperitur: neque talis datur, in qua omnes Ministri officio suo recte & ex impulsu Spiritus S. fungantur & in qua ex Audioribus undique collectis boni numero superent malos, adeoque ita se gerant, ut illorum Christianismus oculis cerni corporeis & ab Hypocritis discerni possit; tales vero crepantes, fanaticos esse errores oportet.

11. Potestas convocandi Concilia, præsertim ecumenica, in illisque præsidendi, non est penes Pontificem Rom. sed penes Imperatorem, vel summum Magistratum politicum.

12. Pontifex Romanus est Anti-Christus ille magnus.

#### DISP. XXIV. & ult. De NOVISSIMIS.

1. Animæ hominum à corporibus solutæ non pereunt, sed verè proprieque immortales sunt,

2. Neque corpus hominis planè in nihilum redigitur.

3. Neque fuerunt neque sunt, nisi duo animarum à corporibus suis separatarum receptacula, alterum beatitudinis in cœlo, alterum damnationis

tionis in inferno, adeoque purgatorium & limbus infantum limbusque Patrum non sunt fidei articuli, sed figurae.

4. Resurrectio mortuorum universalis in consummatione mundi certò est futura: In qua corpora hominum numero & substantia eadem, quæ ceciderunt, sunt resurrecta & novis quidem ac spiritualibus uestita qualitatibus prodibunt, non verò Spiritus erunt.

5. Ante universalem hanc resurrectionem non expectanda est particularis quædam resurrectio piorum, qui mille annos ante novissimum diem sint occupatur regnum mundi, vitamque omnibus iam spiritualibus quam corporalibus deliciis affluentem vivendi & cum Christo in hoc mundo regnaturi.

6. Chiliasmus Pietistarum non tantum Articulo 17. A.C. inter novissima non reconsitus, sed & eodem diserte rejectus & damnatus est: neque tantum omnibus Articuli illius verbis, sed & symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano aduersatur.

7. Idem chiliasmus non modo in multos fidei articulos, sed & in præxīn fidei in usu Orationis Dominicæ impingit.

8. Millennium, cuius Apoc. 20. habetur mentio, jamdudum est impletum.

9. Judicium quoque extremum certò est futurum, quo Christus juxta humanam quoque naturam judicaturus est omnes quidem omnino homines; pli tamen & electi discussionis judicium in novissimo die subiuri non sunt, nec peccata ipsorum propter Christum remissa, obiecta & in profundum maris demersa, coram universitate hominum manifestabuntur. Gerhardus, Calovius, Brochmandus, Qvenstedius, I. A. Osiander &c.

10. Consummatio & conflagratio mundi per ipsius substantiæ abolitionem futura est.

11. Consummatio verò illa & conflagratio mundi non comitabitur nec antecedet resurrectionem mortuorum & judicium extremum, sed illud sequetur.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003431860/phys\\_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431860/phys_0027)

**DFG**



4. Caput & Monarcha Ecclesiarum universalis solus est C  
quidem ut nec Papa Rom. nec aliis in terris ejus sit vicarius  
caput visible, qui privilegio infallibilitatis gaudeat.

5. Ecclesia quidem universalis & invisibilis perpetuò  
duratura & inerrabilis est hypotheticè, adeoque nec erra  
fundamento fidei, nec deficere potest; particularis tam  
visibilis, etiam si à Petro plantata, etiam in fundamentali  
are, immo & finaliter deficere, cum nulla harum, adeo  
maneat ( quæ particularis est ) indefectibilitatis privilegium.

6. Etiam concilia ( Ecclesia representativa ) errare  
errarunt.

7. Nomen Ecclesiarum Catholicarum de jure non competit c  
nihil minus quam Catholicus est.

8. Ecclesia Lutherana non est nova nec heretica ne  
sed Apostolica renovata verèque Catholica & orthodoxa.

9. Qui nostram Lutheranorum Ecclesiam infamia Br  
traducunt, ipsi viam ad confusione plusquam Bab  
reclusi deprehenduntur.

10. Ecclesia, quæ in partibus simpliciter omnibus  
conformis sit, in hac terra non reperitur: neque talis  
omnes Ministri officio suo recte & ex impulsu Spiritu  
& in qua ex Auditoribus undique collectis boni numero  
adeoque ita se gerant, ut illorum Christianismus oculis  
& ab Hypocritis discerni possit; talem vero crepantes  
errores oportet.

11. Potestas convocandi Concilia, præsertim cœcum  
præsidendi, non est penes Pontificem Rom. sed penes  
vel summum Magistratum politicum.

12. Pontifex Romanus est Anti-Christus ille magnus.

#### DISP. XXIV. & ult. De NOVISSIMA

1. Animæ hominum à corporibus solutæ non pereu  
prieque immortales sunt,

2. Neque corpus hominis planè in nihilum redigitur.

3. Neque fuerunt neque sunt, nisi duo animarum  
separatarum receptacula, alterum beatitudinis in cœlo



the scale towards document